



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sacrarvm Antiqvitatvm Monvmenta

Hillesheim, Ludwig

Antverpiæ, 1577

Dvodecim Prophetæ Simvl.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68887](#)

70 SACRARVM ANTIQVIT.
DVODECIM PROPHETÆ SIMVL.



*Felices animæ, cognataq; pectora cælo,
Nobilis æterni turbam ministra Dei;*

Imbuia

Imbuit ætherea quorum præcordia flamma,
 Qui sacer à supera spiritus arce venit;
 Inclita quis possit vestrarum munera laudum
 Dicere, quis dignis ferre per astra modis?
 Vos genus innocuum, rerum meliora secuti,
 Vincitis humanæ conditionis opus.
 Obliti terras, animis cælestia tantum
 Sectati, veras accumulaſtis opes.
 Nil mundi illecebris, nihil est terroribus actum,
 Omnia sed cæli tristia vincit amor.
 Vesta nec angusto virtus se limite clausit:
 Spargitur & terris, spargitur illa polo.
 Vos gentes scelerum fœdis erroribus actas,
 Ducitis ad vera munera sancta viæ.
 Soluitis oppressas alta caligine gentes;
 Mentibus & lucem, pectoribusq; datis.
 Vos summi decreta Dei vulgatis, & orbi
 Panditis ingenti fata futura fide.
 Quæq; salus terras cælo promissa maneret,
 Mitteret è patrio quam Deus ipse finu,
 Conditor ut summo mortalia nomina cælo
 Iungeret, & vinctum solueret auctor opus.
 Non sunt sancta tamen scelerato oracula mundo
 Cognita, quem semper noxius error agit.
 Sed puræ scelerum mentes sensere, Deiq;
 Munera constanti continuere fide.
 At vos cælestes animæ sperata tenetis
 Sidera, iustitiam præmia tanta manent.

E 4 N E H E.